



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Decretvm Vt omnes Regularium Superiores suos subditos,  
& Religiosos persaepe commoneant de iniuncta omnibus  
obseruantia, & executione Apostolicarum Constitutionum,  
& Decretorum ad Officium ...**

**Urban <VIII., Papst>**

**[Romae], 1645**

IV. Alias CXIII. Contra Astrologos Iudiciarios, qui de statu Reipublicae Christianae, vel Sedis Apostolicae, seu vita Romani Pontificis, aut ejus consanguineorum Iudicia facere, necnon eos qui illos ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10826**



blicatæ fuerit in valuis seu portis sancti Ioannis Lateranensis, & sancti Petri Principis Apostolorum de Vrbe, necnon Cancellaria Apostolica, & aciei Campi Floræ, & per aliquod temporis spatium dimissa per nos Ioan. Freyle & Nicolaum Tagliettum S. D. N. Papæ Cursores.

Alex. Parabiacus Mag. Curs.

I V. Alias CXIII.

Contra Astrologos Iudiciarios, qui de statu Reipublicæ Christianæ, vel Sedis Apostolicæ, seu vita Romani Pontificis, aut eius consanguineorum iudicia facere, necnon eos qui illos desuper consulere præsumperint, cum in nouatione similis cōstitutionis Sixti Papæ V.

VRBANVS EPISCOPVS

*Seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

**I**nscrutabilis Iudiciorum Dei altitudo non patitur vt humanus intellectus tenebroso corporis carcere confictus, super astra se extollens, arcana in sinu Diuino recondita, & ipsis beatissimis

Edita Au.D.  
1631.



**Proemium.** mis Spiritibus ignota, nefaria curiositate, non solum explorare, sed etiam tanquam explorata, in Dei contemptum, Reipublicæ perturbationem, & Principum periculum arroganti & pernicioso exemplo venditare præsumat.

**Causa huius  
cōstitutionis**

**S. I.** Hinc est, ut quamvis civilibus canonicisque functionibus, ac nouissimè fel. rec. Sixti Papæ V. prædecessoris nostri Constitutione desuper edita, Astrologorum, Mathematicorum, Vaticinatorum, & aliorum, qui euentura diuinare, seu prædicere audent, quosquè uti homicidas, & maleficos antiquitas æstimauit, illorum potissimum, qui de summa Reipublicæ, vel Principis salute iudicia ferre præsumerent, ars, professio, sine exercitium grauibus pœnis inhibita esse noscantur. Attamen sicut accepimus, nonnulli iniquitatis filij propriæ pusillitatis oblitæ, ac lenitate forsitan, vel conniuentia audentiores facti, vanamque fatidicorum æstimationem aucupantes, in deplorandam animarum suarum perditionem, graueq. Christifidelium scandalum, etiam de Reipublicæ, & Principum incolumitate, illis sollicitudinem, hominibus vero inquietis rerum nouandarum occasionem ea ratione inferre fatagētes, prognostica & prædictiones verbo, vel etiã scripto edere non erubescūt.

Nos



§.2. Nos itaque perniciosis huiusmodi ausibus, quantum nobis ex alto conceditur, obuiam ire, ac quos Dei respectus in officio non continet, pœnarum grauitate & seuerioris disciplinæ frano coercere volentes: Motu proprio & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deq. Apostolicæ potestatis plenitudine, Constitutionem per præfatum Sixtum prædecessorem desuper, vt præfertur, editam Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuo approbamus, confirmamus, & innouamus.

Innouatio cōstit. Sixti V.

§.3. Et insuper omnibus, & quibuscumque Laicis cuiuscumque sexus, conditionis, status, gradus, qualitatis, & dignitatis, etiam Marchionalis, vel Ducalis existentibus, qui de statu Reipublicæ Christianæ, vel Sedis Apostolicæ, siue de vita aut morte Romani Pontificis pro tempore existentis, eiusque vsque ad tertium gradum inclusiue consanguineorū Mathematicos, Ariolos, Aruspices, Vaticinatoresue nūcupatos, vel alios Astrologiam iudiciariam exercentes, seu aliàs quomodolibet profitentes de cætero cōsuluerint, siue desuper eorum iudicia, prognostica, prædictiones, seu præcognitiones etiam sibi oblatas receperint, illisue quomodolibet vsi fuerint, vel illas penes se scienter retinuerint, aut alicui

Contrauentiones & controuentionum laicorum Pœnæ.

E            osten-



ostenderint, necnon ijsdem Mathematicis, Ariolis, Aruspibus, Vaticinatoribus, siue alijs Astrologiam Iudiciariam, seu quamlibet artem diuinatoriam quomodolibet profiteñ, qui Iudicia, Prognostica, seu præcognitiones, & prædictiones super præmissis, etiamsi id non certo se affirmare protestentur fecerint; siue à se, vel ab alijs iam facta, seu factas imposte- rum penes se similiter retinuerint, vel alicui dederint, seu ostenderint, aut de eis quouis modo etiam improbãdo scripto vel verbis tractauerint; nedum excõ- municationis maioris latę sententię, sed etiã vti læsæ Maiestatis reis, vltimi supplicij, ac confiscationis omnium bono- rum suorum, etiam Romanę Curie offi- ciorum, ac deuolutionis quarumcumq; Ciuitatum, Castrorum, & locorum Iu- risdictionalium, & fœudalium.

*Pœnæ Cleri-  
corum quo-  
rumcumque.  
quantumuis  
qualificato-  
rum.*

*S. 4.* Clericis quoque & Presbyteris alijsq. personis Ecclesiasticis, tam sæcu- laribus, quàm cuiusuis Ordinis, Congre- gationis, Societatis, seu Instituti, vel Militiarum quarumcumque, etiam Ho- spitalis Sancti Ioannis Hierosolymita- ni, alijsque quomodolibet exemptis, ac Nobis, & Apostolicæ Sedi immediatè subiectis, Regularibus vtriusque sexus, vltra prædictas, etiam priuationis bene- ficiorum, & dignitatum, ac officiorum,  
Eccle-



Ecclesiasticorum, etiam Monasteriorum,  
 Prioratum, & Preceptoriarum, ac alio-  
 rum quorūcunque & inhabilitatis per-  
 petuæ ad illa impostum obtinenda;  
 ita quod personæ Ecclesiasticæ præuia  
 illarū degradatione Curia seculari tra-  
 dantur puniendæ: in Episcopali vero,  
 Archiepiscopali, Metropolitana, Pri-  
 matiali, Patriarchali, aut quacumque  
 alia etiam superiori Ecclesiastica, vel  
 mundana quantumuis sublimi, excellen-  
 te, & speciali nota digna, etiam suprema  
 constitutis dignitate, easdem excommu-  
 nicationis, ac priuationis etiam regimi-  
 nis, & administrationis Ecclesiarum, &  
 aliorum quorumcunque beneficiorum,  
 & dignitatum quantumuis amplissima-  
 rum, & Patriarchali maiorum, ac offi-  
 ciorum suorum, & inhabilitatis pœnas  
 ipso facto incurren. Apostolica auctori-  
 tate tenore præsentium infligimus, &  
 imponimus.

§. 5. Cognitionem autem causarum, Iudicium de-  
 huiusmodi quoad personas Ecclesiasti- putatio, tam  
 cas, tam seculares, quàm regulares, in in Vrbe, quā  
 Vrbe nostra, & illius districtu ad dilectos extra.  
 filios nostrum in eis Vicariū in spiritua-  
 libus generalem, necnon eiusdem Urbis  
 Governatorem, ac causarum Curia Ca-  
 meræ Apostolicæ Auditorem Generalē,  
 & eorum quemlibet in solidum: extra

E 2                      verò



verò Urbem, & districtum prædictum in Prouincijs, Nobis, & Apostolicæ Sedi subiectis ad S. R. E. Cardinales in eisdem Prouincijs de Latere Legatos, & Prolegatos, ac Præsides in dignitate ecclesiastica constitutos pro tempore existentes, in alijs verò omnibus, & singulis Prouincijs, Regnis, Ciuitatibus, Oppidis, Castris, & locis, tam sub nostra, & dictæ Sedis, quàm cuiusuis alterius Principis ditione comprehensis, priuatiuè quoad omnes etiam Superiores Religiosorum, ipsisque Superioribus penitus exclusis, ad Ordinarios locorum, vbilibet locorum etiam ad hæreticæ prauitatis Inquisitores spectare volumus.

*Demandatio  
cognitionis  
causarū hu-  
iusmodi.*

§. 6. Mandantes dilectis filijs nostris, & dictæ Sedis de Latere Legatis, & eorum Vicelegatis, & Præsilibus prædictis nunc, & pro tempore existentibus, necnon Venerabilibus Fratibus, Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis singulis, videlicet, in suis Ciuitate, & Diœcesi, & quoad loca intra fines alicuius Diœcesis, non tamen de Diœcesi existentia ipsarum Diœcesum, intra quarum fines eadem loca extiterint, quò verò ad ea, quæ extra fines alicuius Diœcesis consistunt, vicinioribus eorundem locorum Ordinarijs, ac etiam Inquisitoribus prædictis, quatenus ad instantiam cuiusuis

Fi-



Fisci, vel denunciatoris, ac etiam ex eorum officio causarum huiusmodi cognitiones suscipientes, praua etiam auocatione à quibusuis alijs supra non expressis, nec à Nobis specialiter delegatis, in causis ipsis modo præmissis procedant omnibus iuris, & facti remedijs opportunis, inuocato etiam auxilio brachij secularis.

§.7. Inhibentes in super Decanis, & Capitulis Ecclesiarum Cathedralium, Metropolitanorum, & Patriarchalium, necnon quorumuis Ordinum, & locorū Regularium, Societatum, & Institutorum, ac etiam Hospitalis prædictorum, Superioribus, Conuentibus, & Fratibus quantumuis exemptis, ne sub priuationis beneficiorum, & officiorum quorūcumque per eos respectiuè obtentorū, ac similiter inhabilitatis ad alia in futurum obtinenda, vocisq. actiuæ, & passiuæ, necnon excommunicationis latæ sententiæ eo ipso incurrendis pœnis, Ordinarios locorum, necnon Legatos, seu Vicelegatos, aliosque prædictos in causis huiusmodi procedentes, quoquomodo impedire, molestare, seu perturbare audeant, vel præsumant: ac etiam mandantes, vt quoties ad id fuerint requisiti, Religiosos ipsos, etiam si alicuius loci regularis Superiores actu fuerint, Ordina-

Inhibitiō, & pœnæ contra turbātes, vel non obediētes Iudicibus prædictis.



narijs, Legatis, seu Vicelegatis, ac alijs prædictis, seu quibus ijdem mādauerint, consignent cum scripturis, & actis, si quæ facta fuisse reperiantur.

Decretum irritans.

§. 8. Sicque & non aliter in præmissis per quoscunque Iudices Ordinarios, Delegatos, & Commissarios, ac etiam, Camera Apostolicæ Clericos, Præsidentes, necnon causarum Palatii Apostolici, & Curia eiusdem Camera generalem Auditores, ac S. R. E. Camerariū, & alios Cardinales etiam de Latere Legatos, necnon Vicecamerarium, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, vbique iudicari, & diffiniri debere: irritū quoque, & inane, si secus super his à quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Contrariorū derogatio.

§. 9. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon nostra in numero septuagesima, & alijs Cancellariæ Apostolicæ Regulis, ac Prouinciarum, Regnorum, Ciuitatum, Terrarum, Oppidorum, Locorum, Ecclesiarum, Monasteriorum, Militiarum, Hospitalium, etiam S. Ioannis prædictorum, aliorumque Religiosorum, & piorū locorum, etiam iuramento, cōfirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia  
robo-



roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apostolicis eisdem Prouincijs, Regnis, Ciuitatibus, Terris, Oppidis, Locis, Ecclesijs, Monasterijs, Hospitalibus, & Militijs prædictis, & alijs pijs locis, ac illorum Vniuersitatibus, Capitulis, Superioribus, & personis, in contrarium forsitan quomodolibet concessis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quæuis alia expressio, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, eorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum infererentur, præsentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permanentibus, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè harum serie derogamus, cæterisque contrarijs quibuscunque.

¶. 10. Volumus autem, quod præsentibus litteræ in valuis Ecclesiæ Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, ac Cancellariæ Apostolicæ, necnon in acie Campi Floræ publicentur, & affigantur: quæ postquam sic affixæ, & publicatæ fuerint, quoscunque tam in Statu nostro temporali, quam extra eum,

Publicationē  
in Vrbe omnes  
arctare  
vult.



vbique locorum perinde arctent, & afficiant, ac si vnicuique nominatim, & personaliter intimata fuissent.

Transumptorum fides.

§. II. Quodque earum exemplis, etiã impressis, manu Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ indiguitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extra, vbique adhibeatur, quæ presentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Sanctio pœnalis.

§. 12. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis, confirmationis, innouationis, infictionis, impositionis, inhibitionis, decreti, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare presumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursum.

Dat. P. An. 8.  
1. Aprilis.

Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo trigesimoprimo, Kal. Aprilis, Pontificatus nostri anno octauo.

*In Dei nomine Amen, Anno à Natiuitate Domini Nostri Iesu Christi millesimo sexcentesimo trigesimoprimo, die verò decima mensis Aprilis, Indiëione decimaquarta. Pontificatus autem*

*San-*



Sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri Domini Urbani Divina Providentia Papae Octavi, anno eius octavo, supradictae Litterae Apostolicae praesentatae, & affixae fuerunt, ac dimissis copijs ad Basilicas Ecclesiarum S. Ioannis Lateranensis, et Principis Apostolorum Urbis, & in Cancellaria Apostolica, in acie Campi Florae, ac alijs locis solitis consuetis Urbis, per nos Augustinum de Bolis, & Ioannem Radicam, S. D. N. Papae Cursores. Matthias Spada Magister Cursorum.

X L I I.

Quod Itali extra Italiam non habitent in locis, ubi liber & publicus cultus, siue usus Catholicae Religionis non existat.

CLEMENS PAPA VIII. Ad perpetuam rei memoriam.

Edita A. D. 1596.

Cum sicut non sine magno animi nostri dolore accepimus, quamplures Christifideles ex diuersis Italiae partibus, eorum patrijs, ubi vera & sancta Catholica & Apostolica Religio viget, & publice praedicatur, discedentes, abeant in

Causa huius constitut.